

University of Dallas, Classics Placement Exam: for Advanced level Latin

Translate the passage carefully, into good English.
Be careful with pronouns and the tense of verbs.

SPEECH OF A MAN BEING TRIED FOR HERESY. Sed cum haec *auditio*¹ sibi renegaretur, tum stans in medio concionis, 'Quaenam est haec iniquitas,' inquit, 'ut cum CCCXL diebus quibus in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squalore, in stercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, adversarios atque obtrectatores meos semper audieritis, me unam horam audire nolitis! Hinc est ut, cum illis singulorum aures patuerint, atque in tam longo tempore vobis persuaserint, me haereticum, hostem fidei, ecclesiasticorum persecutorem, mihi autem defendendi nulla facultas detur; vos prius mentibus vestris me improbum hominem judicaveritis, quam, qui fuerim, potueritis cognoscere. Atqui, inquit, homines estis, non dii; non perpetui sed mortales; labi, errare, falli, decipi, seduci potestis. Hic mundi lumina, hic orbis terrarum prudentiores esse dicuntur. Maxime vos decet elaborare, ne quid temere, ne quid inconsulte aut quid praeter justitiam faciatis. Equidem ego homuncio sum, *cujus de capite agitur*.² Nec pro me loquor haec, qui mortalis existo. Verum indignum videtur, sapientiam tot virorum adversum me aliquid statuere praeter aequitatem, non tantum re quantum exemplo nocituram.' Haec et multa praeterea ornate disserebat in strepitu et murmure plurimorum sermonem ejus interpellantium. Tandem decretum est, ut primum ad errores, qui in eum conferebantur, publice responderet, deinde loquendi quae vellet facultas daretur.

¹ *auditio*: The accused had asked for a 'hearing', i.e. he wanted the court listen to him in silence so he could present his whole self-defense; but instead they demanded that he give only brief answers to the questions of the prosecutor. ² *cujus de capite agitur*: 'who am being tried for a capital crime'.